

pluribus adductis probat, et tenet Cardenas in 2 crisi, dissertat. 2, a n. 348; Sanchez, lib. viii, *De matrim.*, disp. 6, n. 28; Gobat, l. c., tract. 9, n. 725; La Croix, lib. vi, part. iii, n. 892; Quintanadvenas, Vega, Henriquez, et alii communiter observantes tale privilegium Leonis X non reperiri apud illos, qui diligenter collegerunt mendicantium privilegia, nec ullibi reperiri assertam bullam similis concessionis.

(34. An autem, quando, et cum quibus possint regulares, et alii dispensare ad petendum debitum? Vide verb. DEBITUM CONJUGALE, artic. 2, per tot.

(35. An vero dispensatio sine justa causa sit valida et licita? Vide verb. DISPENSATIO.

(36. Hic pro complemento est advertendum quod regulares in iis, in quibus habent privilegium dispensandi, non possunt uti tali privilegio extra sacramentum poenitentiae, ut probabiliter tenent Rosignolus, tract. 15, *De matrimonio*, III, praenot. 12, num. 31; Corduba, in *Summa*, q. 152; Manuel in *Bulla Cruciatæ*, § 9, n. 113, reg. 9; Ludovicus Lopez, II part. *Instruct.*, ubi de *clavibus*, cap. 9, col. 9; Vega, *ibid.*, II *Summae*, c. 129, caus. 34; Hieronymus Sorbus Capucinus in suis *adnotationibus ad Compendium privilegiorum minorum*; » verb. *Votum*, nota 9; Ludovicus Beja, p. II, *Moral. resp.*, cas. 9; Sayrus, lib. vi, *Clavis*, c. 11, n. 105, et lib. v, e. 60, n. 10; Sanctarellus, *De Jubilæo*, c. 8, dub. 8; Suarez, tom. II *De religione*, lib. vi, c. 16, n. 4, et alii magis communiter. Et ratio deducitur ex eo quod habetur in privilegio Pauli III concessio religiosi Societatis Jesu, ubi dicitur: « Et confessionibus diligenter auditis, conceditur facultas absolvendi, nec non et vota commutandi: » ubi per ly *confessionibus diligenter auditis* importatur ablativus absolute positus; ablativus autem absolute positus importat conditionem requisitam; l. *A testatore*, ff. *De condition. et demonstrat.* Tum quia hujusmodi facultas non conceditur regularibus quomodocunque, sed regularibus hujusmodi deputatis, ut constat ex privilegio in *compendio Societatis Jesu*, verb. *Dispensatio*, § 10, ibi: « Per facultatem benedictionis concessam a Martin. V possunt nostri confessores deputati dispensare in votis, etc.; » ergo præcise in actu confessionis: aliter superflue exigeret statum et qualitatem confessarii, si etiam extra confessionem posset dispensare. Quamvis enim commutatio et dispensatio in votis non exigat secundum se confessionem sacramentalem, prout tamen fit a confessario regulari ex concessione Pontificum, exigit talem confessionem, cum regulares non exerceant iudicium, nisi in ipsa confessione.

(37. Contrarium tamen tenent Sanchez, *De matrimonio*, lib. viii, disp. 16, n. 11; Henriquez, lib. vii, *De indulgentiis*, c. 30, n. 6; Quintanadvenas, tract. 9, singular. 11; Diana, part. iii, tract. 2, resolut. 14; Gobat, tract. 10, n. 604; Portel., Aversa, et alii volentes quod regulares possint dispensare

etiam extra confessionem. Imo Quintanadvenas, l. c., et Gobat, loc. cit., n. 204, dicunt posse regulares dispensare etiam cum absentibus, et proinde, si Parochus scribat alicui religioso facultatem habenti, *Peto a R. V. ut dispenset cum N. N.* (tacito proprio nomine) in debili petitione, erit res salva, cum confessarius rescripserit, *Dispensatio*; dummodo subsit causa rationabilis, quæ vix potest deesse. Sic Gobat, loc. cit., n. 604*. Absit tamen, ut quis hanc sententiam ad praxim deducat!

(38. Dispensatio matrimonialis super tertio et quarto gradu simplici, non se extendit, nec tollit impedimentum duplicis, tertii, et quarti gradus; Benedict. XIV, constitut. incip. *Etsi matrimonialis*, § 1 et 6. Dispensatio matrimonialis obtenta super gradu remotiori, relicto proximiori, est valida, modo hic primum gradum nullatenus attingat; idem *ibid.*, § 6. Hinc validum est matrimonium contractum ope dispensationis obtentæ super quarto gradu, nulla tertii gradus facta mentione, et antequam litteræ declaratoriae præscriptæ a S. Pio V, constit. incip. *Sanctissimus*, fuerint obtentæ: idem, *ibid.*, § 6. Et jam declaraverat S. Congr. Concil. in *Lucerien. nullitatis matrimonii* 28 Mart. 1722, quamvis sine dictis litteris declaratoriis matrimonium esset illicitum. Idem *ibid.*, § 6. Dictæ enim litteræ declaratoriae super propinquiori gradu requiruntur, ut caveatur scandalum, ne forte aliqui videntes oratores fuisse dispensatos in gradu remotiori, existiment matrimonium esse nullum, si per dictas Apostolicas litteras non sit declaratum non obstare distantiam propinquioris gradus: unde ordinarius in foro externo, exsequendo litteras dispensationis, non debet dispensare, nisi exhibitis litteris declaratoriis super gradu propinquiori: quod si post contractum matrimonium, sciat oratores (aliquo tamen denunciante) non expressisse gradum propinquiorum, deberet illos separare, donec dictas litteras declaratorias exhibuerint. At vero si ob omissionem expressionis hujusmodi nullum scandalum imminet, nec res deducta sit ad forum externum, valebit matrimonium sine hujusmodi litteris declaratoriis, quæ deserviunt tantum pro foro externo, et pro scandalo vitando; ut recte docent Pyrr. Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. vii, c. 7, n. 19, et alii passim.

(39. Dispensatio in radice matrimonii a solo Romano Pontifice, et quidem non nisi ex causis admodum urgentibus, conceditur. Idem Pontifex, *ibid.*, § 7. Dispensatio autem in radice matrimonii intelligitur solum de impedimento ortum habente a jure ecclesiastico, non autem a jure divino, aut naturali, et per eam non fit, ut matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi matrimonii nullitatem, ante indulgentiam dispensationem, atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu, producti fuerunt. Idem, *ibid.*, § 7, se referens ad tractata ab ipso in discursu confecto, dum in

minoribus secretarii congregationis Concilii munere fungeretur in causa *Pragen. matrimonii*, proposita die 13 Junii 1720, 16 Januarii 1723, 28 Aug. ejusdem anni, et tandem resoluta die 18 sequentis Sept., uti videri potest tom. I et II *Thesauri resolutionum* dictæ congregationis, ubi dicit quod quemadmodum Summus Pontifex potest legem ecclesiasticam irritare et revocare, non tantum quoad in posterum secularis effectus, ne incurrantur, sed etiam quoad effectus antea productos, juxta textum in Clementina, *Quoniam, De immunit. eccles.*, sic dispensando in radice matrimonii, id est in origine, seu initio ipsius, et revocando impedimentum dirimens matrimonium, et simul et semel abrogando legem ecclesiasticam, quædictum statuit impedimentum, facit ut dispensatio retrotrahatur ad originem, sive initium matrimonii, et sic quod proles quoad omnes effectus legitima sit, et habeatur, et quidem quoad effectus etiam civiles directe, in territoriis suæ temporalis jurisdictioni subjectis, juxta ea, quæ ex celebri responso Innocentii Papæ tertii in cap. *Per venerabilem*, Qui filii sint legitimi, plane colliguntur, et quoad Territoria alienæ temporalis jurisdictionis, saltem indirecte quoad dictos effectus civiles.

(40. Dispensatio in radice matrimonii ab altero obtenta, sub narrativa, quod alter conjux impedimentum ignoret, nulla est, si alter demonstrat se impedimenti conscium fuisse ante petitam obtentamque dispensationem; idem, *ibid.*, § 7; scientia tamen, aut dissensus post dispensationem superveniens, non attenditur; idem, *ibid.*

(41. Impedimentum dirimens matrimonium non oritur ex præcedenti adulterio, si machinatio absit, et fides futuri matrimonii; Benedict. XIV, tom. I, const. 113, incip. *Reddite*, § 15 et 30. Vide supra verb. ADULTERIUM.

« Illud (vero) constat in more positum non esse, ut Sedes Apostolica in matrimoniis jam contractis, seu contrahendis dispensationem impertiat *super impedimento criminis*, si illud publicum fuerit, vel conjugii mors illata sit altero, aut utroque *machinante*; et profecto Clemens VIII viris potentissimis id expetentibus constanter denegavit. Attamen, ut saluti animarum aliquo modo prospiceretur, summo poenitentiaro facultatem Pontifex concessit, ut in foro conscientie tantum impedimentum criminis dissolveret, si ipsum crimen occultum sit; monet vero Pontifex, id raro peragendum, si conjugis mors patrata fuerit *utroque, vel altero machinante*: necessitas intercedere debet, aut gravissimum periculum; nec ullo modo tribui dispensatio hæc potest, nisi prius in congregat. vel signatura sac. Poenitentiarie res diligenter examinetur (ut in hac formula): « super impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data duntaxat, neutro machinante commissum, possit tam in contrahendis, quam in contractis matrimoniis dispensare: Si vero crimen hujusmodi fuisset, utroque, vel altero machinante, patratum, possit dis-

« dispensationem concedere, raro tamen, et « quando necessitas postulaverit ratione alii « cujus gravis imminens periculi, quod « prudentia Majoris Poenitentiarie re præser- « tim discussa in Congregatione, vel signa- « tura, arbitrandum erit. » Ita Benedictus XIV, *Instit. ecclesiast.* 87, p. 21.

(42. Impedimentum justitiæ publicæ honestatis ex matrimonio rato non consummato est fortius eo, quod ex sponsalibus oritur; idem constitut. 89, incip. *Alias*, § 15, ubi Pontifex mandat episcopis, et missionariis Sæviæ, quod idcirco ab hujusmodi dispensatione concedendo abstinere debeant, non obstantibus amplis facultatibus sibi concessis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(43. Ut episcopus dispensare valeat super impedimentis dirimentibus matrimonio jam contracto, tunc quum facile recurri ad Sedem Apostolicam nequit, plura concurrant oportet, quam ea, quæ affert Auctor n. 17. 1° Scilicet ut matrimonium contractum sit servata forma a concilio Tridentino præscripta. 2° Ut bona fide sit contractum. 3° Ut sit consummatum, quam conditionem, eamque omnino necessariam omittit Auctor. IV. 4° Ut impedimentum sit occultum. 5° Ut nequeat sine gravi scandalo fieri separatio; San. mem. Benedictus XIV, *De synod. diæcesan.*, lib. ix, cap. 12, n. 1, 2 et 3; P. Girald., in not. ad Maschat., *Instit. canonic.*, ib. iv, tit. 21, tractat. ib. inserto *De dispensat.*, § 6.

(44. Cæterum si occultum illud impedimentum postea detegatur, et deducatur ad forum contentiosum, nova, eaque Pontificia dispensatione opus est. Idem auctores locis mox citatis.

(45. Matrimonio vero nondum contracto, etiamsi gravis urgeat necessitas, episcopum haud dispensare posse super impedimentis dirimentibus publicis, quidquid nonnulli sentiant, et cum his fortassis Auctor n. 18, qui non limitat suam propositionem ad impedimenta occulta, ex mente sacræ congregationis Concilii interpretis, probat San. mem. Benedict. XIV, *ubi supra*, qui ita concludit: « Sacræ urbis congregationes, Concilii videlicet, et supræ Inquisitionis, non semel proscripserunt tanquam falsam et temerariam propositionem asserentem episcopo jus dispensandi super impedimento dirimente publico, quod obstat matrimonio contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas. » Vide addita supra ex Bened. XIV, sub n. 18, h. art.

ADDITIONES CASINENSES.

In nostris additionibus sub v. *Loth*, lectorem remisimus ad alias item nostras animadversiones subnectendas sub v. *MATRIMONIUM*, artic. 3, juxta editionem Venetam, qui articulo respondet 7, in edit. Barbell. ut in hac, quæ curis nostris editur, nempse in quo agitur de dispensat. in impedimentis matrim., etc.

Ibi ex sententia, quam attulimus Cornelii a Lapide, dictum, quod « concubitus filiae cum patre est contra omnem naturae pudorem, unde nullo casu aut necessitate licitus est, nisi Deus dispenset, eumque concedat: » sunt cit. interpretis verba, in *Genes.*, cap. XIX.

Præstat ad maiorem rei claritatem Bellarminum audire, qui, postquam de conjugii naturali pudori adversantibus atque indispenabilibus (49) disserit, in hunc sane modum concludit: « Putamus (sic ille) a Deo dispensabilia esse conjugia omnia in quovis gradu: nullus enim est gradus, in quo conjugium sit intrinsece malum, ut repugnet illud fieri bene. Quod ex eo patet quia nullus gradus tollit finem matrimonii primarium, vel secundarium, licet aliquo modo impediatur: nam ex conjugio etiam filii cum matre nasci possunt liberi et educari, etc., neque legi ullum, qui expresse hoc negaverit. Nam ipse etiam Cajetanus, in 2-2, q. 154, art. 9, gradum istum primum in linea recta, dicit habere per se et naturaliter annexum impedimentum conjugii; tamen ibidem scribit conjugium in hoc gradu dispensabile esse ab Auctore naturæ.

« Et aliquod argumentum ad hoc probandum afferri potest ex facto filiarum Lot, quæ cum existimarent nullum omnino virum in mundo superesse, crediderunt sibi licitum esse ex proprio patre liberos quærere, *Gen. XIX*. Et quanquam a peccato non excusentur, quia debuissent curam istam generis propagandi patri relinquere, aut certe cum eo communicare consilium, et ipsius expectare iudicium, et non prævenire, ac patrem decipere; tamen factum ipsum indicat, in tam extremo casu non esse omnino contra humanam rationem ejusmodi conjugium, præsertim si accederet auctoritas dispensantis Dei. Imo Chrysostomus, homil. 44 in *Genes.*; Ambros., lib. 1, *De Abraham*, c. 6, eas omni crimine liberat. August., lib. XVII, *contra Faustum* cap. 44 (50) peccasse dicit, non tam ardore libidinis, quam nimio amore posteritatis. » *De matrim.*, lib. 1, cap. 28.

ARTICULUS VIII.

De revalidatione, seu ratificatione matrimonii invalide contracti.

Artic. novus edit. *Casinensium*.

SUMMARIUM.

1. Revalidatio matrimonii quid importet, et quando locum habeat. — 2. In probabilitate valoris matrimonii jam contracti potest illud haberi ut validum, modo dubium vertat circa impedimentum ab Ecclesia appositum. — 3. An ad revalidandum matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiæ jam celebratum, necesse sit illud iterum renovari coram parochi, et testibus ad n. 6. — 7. Quando impedimentum intelligatur esse occultum: ad n. 11. — 12. Utrum ma-

(49) Ex sententia Bellarmini: « Jure naturæ interdita sunt conjugia in primo gradu consanguinitatis, tam in recta linea, quam in transversa: et in primo gradu affinitatis in linea recta tantum. » *De matrim.* lib. 1, cap. 28. Cæterum vide dicta a Lucio

trimonium sit revalidandum coram parochi, et testibus, si ipsi tempore matrimonii contracti fuerint consensu impediti. — 15. An quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum sit necessarium ad illud revalidandum, ut, ablato impedimento, uterque conjux fiat conscius de nullitate matrimonii ad n. 17. — 18. Quotuplici modo possit renovari, seu exigi consensus a parte inscia impediti post obtentam dispensationem. — 19. Quid in casu defectus consensus, nempe quia fuit fictus, vel motu extortus, quando matrimonium contractum fuit, ad n. 26. — 27. Quid in casu erroris personæ, etc.

(1. Quoniam experientia patet, persæpe matrimonia invalide contrahi vel ob impedimentum aliquod dirimens publicum, aut occultum, idque uni soli, vel utrique conjugii notum; vel ex defectu consensus ex parte unius, vel utriusque est tantum simulatus, aut fictus consensus, vel ob metum injuste incussum: aut adest error circa substantiam, seu individuum personæ, aut circa conditionem: de modo revalidationis talium matrim. juvat singillatim disserere.

(2. Ac primum prænotandum communem esse DD. sententiam, quod cum agitur de matrimonio revalidando, propter bonum animarum præsumitur Ecclesia in impedimento (si forte adsit) dispensare, semper ac adest de illius (matrimonii) valore vera probabilitas. Unde, ubi dubitatur inter DD. de valore alicujus matrimonii, bene potest haberi illud ut validum, si vere probabile sit de jure validum esse; modo dubium vertat circa impedimentum ab Ecclesia appositum, nam in impedimentis de jure naturali non potest Ecclesia dispensare. Ita D. de Ligorio, *Theol. mor. de matrim.*, n. 1109.

(3. Porro ut ab impedimento occulto in matrimonio nulliter contracto exordiamur: « Quæritur: An ad revalidandum (hujusmodi) matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiæ jam celebratum, sit iterum revalidandum coram parochi et testibus. Prima sententia affirmat, et hanc tenent Comit. Conc. et Pont. cum Palac. Gutt. et aliis paucis. Ratio, quia assistentia parochi et testium assignatur a Tridentino ut forma, sive ut substantiale requisitum matrimonii, forma autem contractus tum adhibenda est, cum contractus celebratur; si igitur primum matrimonium fuit nullum, ergo quando denuo, et revera contrahitur, debet forma adhiberi.

(4. « Secunda vero sententia probabilior et communis negat. Ratio, quia concilium præscribendo parochi præsentiam et testium ad valorem matrimonii, merito præsumitur noluisse hunc casum comprehendere; concilium enim per illam præsentiam tantum voluit occurrere peccatis, quæ consurgebant ex nuptiis clam celebratis, sed in nostro

nostro in art. 5 hujus rubricæ, sub n. 65 et seq., ac insuper additiones nostras sub art. 6, ad n. 28, sub v. AFFINITAS, ubi, de primo gradu affinitatis in linea recta latius cum Benedicto XIV disserimus.

(50) Vide *Addit. Casinenses*, sub cit. art. Lot.

casu matrimonium jam publice est contractum; et ideo sufficit novum tantum ponere consensum; ita Nav., Natal. Alex., Fagnan... Haberi... Tournel., etc.

« Item N. SS. P. Benedictus XIV, notif. 87, n. 62, cum Pontas, Van-Espen et communi testatur (51). Et ideo quando agitur de matrimonio contrahendo cum impedimento occulto, S. Pœnitentiaria in dispensando hac utitur formula: « Cum eodem latore, quod « matrimonium cum dicta muliere, et uterque « inter se publice, servata forma concilii « Tridentini, contrahere possit, misericorditer dispenses. » Quando vero agitur de matrimonio jam publice contracto in facie Ecclesiæ, utitur his verbis: « Cum eodem « latore, ut dicta muliere de nullitate prioris « consensus certiorata (sed id caute, ut latoris « delictum nusquam detegatur), matrimonium « cum eadem, et uterque inter se de novo se « crete ad evitanda scandala, contrahere « valeat, dispenses. » Unde observa quod in primo casu, quia necessaria est præsentia parochi, dicitur, *servata forma concilii*. In secundo vero dicitur, *secrete ad evitanda scandala*, id est, ut patet, sine parochi et testibus. Et sic etiam pluries declaravit S. C. Concil., ut referi idem Benedictus XIV, etc. (*vide in nota*)... » D. de Ligorio, *De matrimonio*, n. 1100.

(5. « Objicit Pontius... (prosequitur D. de Ligorio) oraculum Clementis VIII, quod in extensum refert... ubi narrat quod, cum quædam mulier ex metu cuidam nupsisset, per Stephanum Tucium ad petitionem Paul. Comitoli, consultus fuit Clemens VIII qui respondit necessarium esse consensum utriusque coram parochi et testibus, admonito prius marito de matrimonii nullitate; sed, ad evitandum scandalum, se dispensare, ut secreto inter se contrahant, renovato consensu. Sed auctores nostræ sententiæ, et

(51) Præstat hic per extensum referre doctrinam Benedicti XIV qui, distinctione facta inter publicum et occultum impedimentum, sic habet, *Notif. seu Inst. ecclesiast.* 87, n. 62 et seqq.

« Magno studio disceptatum olim fuit, utrum novus hic consensus, qui matrimonium reipsa constituit, coram parochi, et duobus testibus peragendus videretur. Nam Tridentina synodus parochum ac duos testes præsentem necessario requirit, dum matrimonium celebratur. Attamen nulla difficultas amplius superest, si discrimen inter occulta et publica impedimenta habeatur. Si matrimonium publice initum est coram parochi, et duobus testibus, et impedimentum quoque publice innotuerit, idem matrimonium rite confirmari nequit, nisi consensus iterum coram parochi, et duobus testibus præbeatur. Contra vero est, si matrimonium celebratum fuit coram parochi, et duobus testibus, et impedimentum dirimens occultum servatur. Tunc novus consensus certe præstandus est, sed clam inter contrahentes; nec amplius parochus, duoque testes requiruntur. Nam semel mandato Tridentini concilii jam paruerunt conjuges, cum primo matrimonio, licet interposito occulto impedimento, confecerunt.»

« Hæc ita (prosequitur Bened. XIV) decrevit pœnitentiaria S. Pii V Pontificis auctoritate, ut Navarrus fatetur, qui per tot annos eidem sacro tribunali operam præstitit suam. Id etiam probat

præsertim Salmat., Ronc., Spor., Holz., Boss., et Elb. multipliciter respondent, et 1. Quod illud impedimentum, licet occultum, cum tamen ortum habuerit ex metu incusso, erat obnoxium periculo publicationis, aut deductionis ad forum... 3. Quod de præfato oraculo non satis constat, prout constat de oraculo S. Pii V quod apparet comprobatum tot declarationibus S. C. decisionibus Rot. Rom. et praxi constanti S. Pœnitentiariæ. Ad rationem autem oppositæ sententiæ respondetur, quod concilium vult assistentiam parochi et testium, ad probandam validitatem matrimonii secundum externam apparentiam; cum autem matrimonium prius contractum jam externe reputatur validum, cessat ratio cur prædicta assistentia denuo requiratur. » D. de Ligorio, *loc. cit.* (52).

(6. Cæterum si matrimonio invalide contracto impedimentum evadit publicum, ita ut probari valeat, certum est apud omnes ad revalidationem adhiberi debere novam præsentiam Parochi et testium, hoc ipso enim, quod palam et in foro externo sciatur prius matrimonium publice contractum fuisse nullum, de novo publice contrahi debet, ad evitanda tam conjugum, quam populi scandala. Reiffenst. ad 4, lib. ex. in *Append. de dispens. super impedi.*, etc. § 13 final., n. 610.

(7. Sed hic « Quæritur quomodo, et quando impedimentum intelligatur esse occultum, cum in litteris S. Pœnitentiariæ dicitur: *Dummodo impedimentum occultum sit?* Nav... cum *Glossa*... dicit esse occultum, quando factum fuit in præsentia quinque personarum... Unde concludit quod, ut aliquod crimen dicatur occultum, sufficit non esse publicum majori parti oppidi, vicinæ, vel collegii, ubi saltem immorentur decem personæ; et idem sentiunt Suarez...

sacra congregatio Concilii, uti tradit Fagnanus, qui per plures annos a secretis præclare munus gessit, idemque vulgo scriptores docent. Insuper, cum sacra rotæ auditores hujus sententiæ veritatem in dubium revocassent, cardinalis Carafa congregationis Concilii præfectus duos ex iisdem auditoribus accivit, Seraphinum nempe, et Comitolum, quibus ostendit decreta a sacra congregatione super hæc re confecta, Pœnitentiariæ instituta, et S. Pii V, declarationi esse consentanea. Qua de re tribunal sacra rotæ in posterum expositam paulo ante sententiam secutum constanter fuit. Etenim Tridentina synodus, cum jussit matrimonium contrahi coram parochi, et testibus, nihil aliud statuendum voluit, nisi clandestina matrimonia impedire... Quamobrem cum parochus ac testes primo matrimonio jam interfuerunt, quod rite celebratum putabatur, quia impedimentum nequaquam innotuerat, ideo satis est ut clam inter conjuges novus consensus præbeatur, cum ipsum matrimonium Sacra Pœnitentiariæ facultate rite confirmandum est.»

(52) Benedictus XIV in cit. *Inst. ecclesiast.*, 87, n. 69, dicit. Oraculum Clementis VIII, tanquam authenticum agnoscere videtur. Hoc posito, non male fortasse Salmanticenses in eam iverunt opinionem, nempe tale responsum editum a prædicto Pontifice, ex eo quod illud impedimentum metus esset obnoxium periculo publicationis aut deductionis ad forum externum.